



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Dif. 1. Examinantur rationes pro hac sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

rens vim. Alia absoluta & supernaturalis, quæ agit supra physicam exigentiam naturæ, & ple-
rumque contra illam, rebus creatis inferens vim.

2. INSTANTIA. Christo Domino convenit Dominium rerum, & titulo proprii v. g. laboris, contractu, & titulo unionis Hypostaticæ. Primum illud dominium est obligabile; non secundum.

3. INSTANTIA. Respublica potest obligare, secundum potestatem privatam, qua prospectit bonis particularium: non potest obligare jus altum?

4. INSTANTIA. Potest Deus obligare se tanquam Dominus jurisdictionis, & non obligare tanquam Dominus proprietatis, & è contrario. Ergo, & in presenti idem dicendum.

5. INSTANTIA. Deus, ut Auctor naturalis, tenetur materiæ providere quantitatem, non tenetur tanquam Auctor supernaturalis. E contra, tanquam Auctor supernaturalis, tenetur gratias annexere charitati; non tenetur tanquam Auctor naturalis. Ergo & distinctio duplicis potestatis tenebit, poteritque unâ obligari, non aliâ.

PRÆMITTO 6. *Quomodo ex Ripal. distinguuntur due illa potestates?* Distinguuntur sine quæ: Potestas enim Absoluta, intendit bonum excellentiæ divinæ, Ordinaria bonum creaturarum, quod potest separari à bono excellentiæ divinæ, quam ostendit Deus, in destructione creaturarum. Distinguuntur sphaerâ, quia potestas absoluta comprehendit omnia possibilia, & carentias eorum, quæ possunt in finem excellentiæ divinæ conferre, ordinaria vero solum comprehendit ea, quæ in bonum creaturæ conferuntur. Distinguuntur radice: quia illa absoluta potestas competit Deo, ratione excellentiæ divinitatis, seorsim ab attributis omnipotentia, & creaturis, ordinaria convenit Deo, titulo creatoris & gubernatoris universi. Denique potestas absoluta est essentialis & necessaria Deo, ordinaria autem contingens & abdicabilis.

PRÆMITTO 7. *Qui sint effectus, per Ripal. potestatis ordinariæ obligatæ.* Effectus est: quia si non obligaret potestatem ordinariam sine ulla injuria potuisset negare creaturæ v. g. bona supernaturalia, non potest, supposita obligatione. Effectus est, quia inferret Deus injuriam creaturæ, habenti jus in bona supernaturalia, si ea negaret. His præmissis, sit.

DIFFICULTAS II.

Deciditur Quæstio.

DICENDUM est. *Dei, respectu creaturæ, non dari illam perfectam justitiam.* Videretur esse Concl. S. Thomæ 1. 2. q. 114. a. 1. in Corpore. Ubi cum neget absolutam æqualita-

tem inter Deum & hominem, hoc ipso negat absolutam justitiam sive rigorosam, & 1. parte q. 21. a. 1. in Corpore, negat in Deo justitiam commutativam; distributivam autem in Deo admittit, non nisi secundum virtutem gubernativam. August. Confes. 4. *Reddit inquit debita nulli debens.* Serm. lib. 6. de Verb. Apost. *Debitor enim factus est nobis, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo.* S. Bernardus Serm. de Annunt. *Neque talia sunt, inquit, hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut propterea Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Unde etiam & S. Thomas 1. 2. cit. ad 3. Docet. *Deum non effici simpliciter debitorem nobis, sed sibi effici, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur.*

Punctum Difficultatis 1.

Examinantur Rationes pro hac Sententia.

PROBAT 1. Pr. Albertus Zeronski, tititurque argumento communi. Abdicare se dominio alicujus rei involvit imperfectionem in Deo. Ergo, Deus jus & dominium in alium transferre non potest. Antecedens probatur. Quia res esse creaturæ & non Dei, & posse de eadem re liberè dispendere creaturam, non posse autem Deum, est imperfectio in Deo. Sed abdicare se dominio alicujus rei, & transferre jus & Dominium in alterum, sequitur, quod Deus non posset re illa uti pro suo libitu, & dispendere sine injuria alterius. Similiter sequitur rem illam non esse Dei, sed creaturæ. Quod ipsum probatur. Nam Petrum cedere dominio, & juri suo in librum, illudque transferre in Paulum, sequitur essentialiter & necessario, vitalis abdicationis & translationis, Petrum, non esse Dominum libri. Ergo, similiter in Deo, abdicante à se dominium, & cedente juri suo ad rem aliquam creaturæ, idem sequeretur, circa rem illam abdicatam.

RESPONDERI potest. Quod abdicare se dominio absoluto & essentiali, involvat imperfectionem, sed non abdicare se dominio potestatis ordinariæ, & accidentalis: & licet esse rem creaturæ, & non Dei, secundum potestatem absolutam, sit imperfectio, non est tamen imperfectio, si sit res creaturæ, & non Dei, secundum potestatem ordinariam. Instantia de Petro allata non convincit: probat enim multum: quia probat quod nec Princeps possit se spoliare jure suo ballo, relinquendo sibi jus altum: quia Petrus ita cedit juri suo, ut non relinquat illud sibi. Quod si dicas, aliud esse de Principe: quia in illo invenitur duplex illud distinctum jus, dicit & Ripalda, inveniri in Deo duplicem illam potestatem.

Est

R. P.
THOMAS MŁOD
HAWSKI
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

Est & alius modus satisfaciendi huic argumento, quod scilicet non esset necessarium, ut Deus transferat jus in creaturas, abdicando illud à se, sed sufficeret investitura illarum in jus, cum retentione nihilominus juris sui in totam rem, ut fieri etiam in creatis solet: dum sunt unius ejusdemque rei plures Domini, ita ut independentes unus ab alio, non possit quidquam facere, quo casu, non se alter abdicat jure, dando alteri jus, sed solum illi, sine sui juris amissione, communicat jus.

PROBAT 2. Idem. Specialiter contra Responsionem Ripalda. Vel Deus translato dominio ordinario in creaturam, & manente jure absoluto, potest absolute uti re illa, quomodo cunque sive illam auferendo, destruendo, sive retinendo, conservando, independentem à creatura, & voluntate illius, sine ulla ipsius creaturæ injuria, vel non potest? Neutrum dici potest. Non primum, uti asserit ipse Ripal. tum in aliis locis cit. tum specialiter sect. 12. quæ pars ratione etiam probatur. Quia tale dominium esset nullius momenti, & æstimationis moralis. Ergo, tale dominium non est admittendum; potissimum verò in Christo in ordine ad satisfactionem justitiam: quia sequeretur satisfactionem Christi, ratione talis domini in suos actus, esset quoque nullius momenti & æstimationis Moralis. Sequela autem probatur. Quia dominium tale & possessio rei, ut aliquis rem illam possit à se auferre, & pro libitu suo independentem à se tractare, est nullius momenti, & æstimationis moralis. Quod ipsum instantiâ declaratur. Habeat aliquis jus ad pagum duplex, hæreditatis, & emptionis, sit jus hæreditatis potius, donet alteri jus emptionis minus præcipuum, retinendo principale hæreditatis, his conditionibus, ut ille, qui habet jus emptionis, non possit quidquam facere circa illum pagum: aut illo uti, nisi dependentem ab eo, qui sibi retinuit jus hæreditatis, tale dominium & talis donatio esset ridicula, tantumque esset habere illum pagum tali jure, atque si illum non haberet; ita enim ego, qui nullum jus haberem, possem uti vel non uti illo pago & bonis illius, sicut ille, qui jus cum talibus conditionibus pagum illius haberet. Unde si quis tale dominium mihi daret in Regnum Hispaniarum, & dominium absolutum in tres grossos, rationabiliter eligendi essent tres grossi, & dominium illorum absolutum, quam Regnum Hispaniarum: quia plus mihi commodi inferrent tres grossi absolute donati, quam Regnum Hispaniarum: nam ex dominio Regni Hispaniarum tali, possem nullum emolumentum percipere, nec alteri benefacere, si illi, qui haberet jus principalis, ita placeret, secus quam ex tribus grossis mihi absolute donatis. Non etiam potest dici, Deum tali abdicatione domini & cessione juris facta creaturæ, facere injuriam posse: sequeretur enim do-

minium Dei, respectu talis rei, esse imperfectius, quam dominium Petri respectu libri, quem possidet: majus enim dominium haberet illius libri, quam Deus illius rei; majus enim & perfectius est dominium, posse uti re aliqua ad possibiles omnes usus, circa injuriam alterius, quam posse uti re aliqua, ad usus possibiles, non citra injuriam alterius.

RESPONDERI potest pluribus viis huic argumento. Imprimis per distinctionem petitam ex principiis Ripalda. Quod translato dominio in creaturam, obligataque potestate ordinaria, non possit per illum præcisè & absolute sine injuria auferre illam Deus, potest autem per potestatem absolutam, & non obligatam. Cum enim potestas illa ordinaria jam moraliter non sit in Deo, utpote obligatione in illo adstricta, non habet Deus jus, vi illius, disponendi de eadem, sed non nisi titulo potestatis absolute inobligatæ & inobligabilis, consequenter dici posset, licet non debeat tale dominium in creatura positum, comparatè ad absolutum dominium, esse momenti & æstimationis moralis alicujus; sicut & ad jus altum Principum, dominium privatorum comparatum non est dominium, sed subjectio, & tamen, æstimatur quia comparatè ad alios subditos, habet dominium; ita etiam jus illud erit æstimandum comparatè ad potestatem ordinariam divinam, eo quod per potestatem illam ordinariam, non possit Deus auferre rem, supra quam cessit dominio, vi cujus cessionis, caret jam Deus jure potestatis ordinariæ ad illam auferendam, utpote jam obligato: Negatur alterius dominium tale, quod secundum aliquem titulum exigit, ut independentem ab illius voluntate non possit alius de re aliqua disponere esse nullius momenti, licet secundum alium titulum possit independentem ab alius voluntate de re disponere, quod etiam contingit in jure alto.

Instantia illa de traditione juris in pagum, non convincit: quia non supponitur donatarius, independentem à donante, quidquam posse facere. Jam autem in præsentem ponitur creatura supponiturque: potens facere independentem à potestate ordinaria divina, illamque non lædendo, nec illi præjudicando, utpote ei, quæ moraliter jam non est; cum obligata sit: & si ponatur etiam ille donatarius pagi, posse independentem à donante, secundum aliquod jus suum agere, adhuc erit dominus dominio, quod non deberet dici nullius momenti, sicut nec dicitur dominium bassum nullius momenti, licet independentem ab alto h. e. sine ordine subjectionis ad illud, non sit. Quanquam ad eandem instantiam dici posset, quod tunc ex varietate titulorum, salvari potest dominium in pluribus, quando unus titulus, respectu alius, dicit prælationem, præminentiam, ordinemque dignitatis: si enim hic ordo non dicatur, non est major ratio, cur

unus

minus potius dicatur Dominus, quam alter? consequenter non erit, si comparentur inter se uterque, Dominus: dominium enim semper est quid fortius, & à quo victoria. Sicut ergo non nisi à fortiori victoria, ita nec dominium salvabitur, nisi ratione altioris tituli. In presenti autem titulus hæreditatis, & emptionis sunt tituli æquales, licet diversæ rationis: nullus enim titulus est natus alteri subordinari. Quia autem titulus acquisitus à creatura. Deo investiente, est adhuc natus esse subordinatus juri absoluto, & cum ratione obligationis potestatis ordinariæ, acquisierit creatura, titulum, vi cuius dicere possit: potestas ordinaria ad me non extenditur, fit, ut ratione illius, acquirat dominium, creatura.

Quando autem dicitur. Si Deus irrogaret injuriam creaturæ, supposita obligatione potestatis ordinariæ, hoc ipso sequitur perfectius fore Dominum Petrum alicujus libri, quam Deum respectu rei, circa quam obligavit potentiam suam ordinariam, id etiam non convincit.

Nam si posita obligatione potestatis ordinariæ, sequeretur exclusio potestatis absolutæ, verè magis esset Dominus libri Petrus, quam Deus illius rei: secus autem si retineat dominium absolutum. Ad eum planè modum, quo si Respubl. non haberet jus altum, perfectius Petrus esset Dominus rei, quam Respublica, sed id non sequitur, supposito dominio alto in Republica: ita etiam nec sequitur in Deo supposito illius dominio absoluto remanente, post obligatam potestatem ordinariam.

Dici etiam posset, si fiat comparatio Domini Petri, supra librum, ad potestatem ordinariam obligatam, non posse dici dominium Petri, esse perfectius: cum enim Ly perfectius, supponat extremum, ad quod comparatur perfectum, & cum perfectum supponat esse; cumque non supponatur esse jam in Deo dominium potestatis ordinariæ, nec supponetur esse perfectum. Et tunc non est perfectius dominium privatorum supra bona præ dominio Respubl. quæ talis, basio in bona, cum basium dominium non habeat Respublica: ita & in presenti.

Respicit hæc pars Responsionis hanc Majorem. Illud dicitur injuriose fieri, quod fit sine ullo adhuc jure, hinc, etiam si per impossibile vellet Deus per obligatam potentiam ordinariam aliquid facere, faceret injuriam: sed quia hoc est impossibile, dictante illi, illius intellectu, quod non debeat uti jure secundum titulum, quo se exiit, ideo etiam nec faciet nec facere potest injuriam, sed faceret, si per impossibile operaretur. Quia tamen Deus retinet jus suum altum, & absolutum, hinc fit, ut secundum hoc jus operans, & secundum rationes hæc & nunc militantes pro exercitio talis juris, fit, inquam, ut non dicatur operari in talibus circumstantiis, cum injuria creaturarum, & sine ullo jure.

Deinde eidem difficultati alia via satisfieri potest, adferendo scilicet aliqua principia, quæ in contra militant. Imprimis, quia arguens videtur supponere, quod, per Ripalda, possit tunc Deus de re, ut voluerit disponere, nec per hoc injuriandam creaturam ablatione v. g. rei, circa quam obligavit Deus potestatem suam ordinariam, cum tamen expresse dicat Ripal. injuriandam, si Deus velit agere secundum potestatem ordinariam. Et ita habet n. 17. Deus secluso jure creaturæ ad bona supernaturalia, poterat absque injuria negare illa creaturæ non solum potestate absoluta, sed etiam ordinaria, non potest autem, post jus creaturæ acquisitum. Et infra. Jure creaturæ adveniente, non potest Deus apprehendi absque injuria negare, aut auferre ea bona: idque eodem numero pluribus vicibus repetit. Similia habet, num. 69. Deinde concedamus interim, quod hoc dominium sit nullius momenti, potestne Deus illud conferre creaturæ, ita, ut contra illud non possit agere, nisi per potestatem absolutam? si enim non potest, quæ in hoc implicancia? si potest, habetur intentum Ripalda. Denique ostenditur, non esse hoc jus nullius momenti.

1. INSTANTIA est. Quia Deus homini bene sano vique constitutionis naturalis, deposcenti, diu vivere, positoque in circumstantiis causarum secundarum, non auferentium sibi illas dispositiones, non potest per potestatem ordinariam auferre vitam: licet singulis momentis possit illam auferre per potestatem absolutam: nihilominus hoc bonum, non est bonum nullius momenti. Ergo, & dominium inauferribile per potestatem ordinariam, auferibile tamen etiam singulis momentis, si urgeant rationes ad exercendum dominium absolutum, non est dominium, nullius momenti. Neque valet si dicas disparem esse rationem, quia hic agitur de dominio. Hoc ipsum probandum est, cur dominium illud irrevocabile per potestatem ordinariam &c. fit nullius momenti?

2. INSTANTIA est. Facultas etiam revocabilis, à superioribus, data alicui Religioso, ad commoditatem præ cæteris, non est bonum nullius momenti, aliàs in recompensam laborum daretur nihil, & appeteretur interdum res, quæ judicatur ab appetente, nullius momenti. Ergo multo magis dominium irrevocabile per potestatem ordinariam, per ordinem ad illam, non erit dominium nullius momenti.

3. INSTANTIA est. Dominium basium, non est dominium nullius momenti, licet rem, in quam extenditur, possit Respubl. auferre singulis momentis, si singulis momentis urgeat necessitas publica, idque jure domini alti. Ergo, etiam & dominium revocabile &c. non erit dominium nullius momenti.

Addi

R. P.
J. H. M. L. O. D.
J. A. B. W. S. K. I.
T. O. M. 3. e. 14.
D. V. I.
G.

Addi etiam potest, id quod in presenti difficultatem habet, sub duplici phrasi proponi posse. Primo. An dominium singulis momentis revocabile, sit dominium nullius momenti. Secundo, An jus singulis momentis revocabile, sit jus nullius momenti? Incipiendo à Secundo. Docent Auctores, usum simplicem & usum fructuum per hoc distingui, quia ille est ad placitum revocabilis, non hic, ex quo sic proceditur, usus fructus non est jus nullius momenti, ex eo, quod non sit ad placitum revocabilis, licet absolute sit revocabilis. Ergo, nec dominium illud erit nullius momenti, quamvis sit absolute revocabile, irrevocabile autem per potestatem ordinariam. Quod attinet ad usum simplicem: illud etiam non esse nullius momenti suadent hæc. Imprimis, quia si est nullius momenti, cur potest alteri vendi? cum tamen res nullius momenti non sit vendibilis. Deinde, quia ipse donans, ex dictis supra, potest vendere talem potestatem usufructuario, judicaruntque id Less. Sanch. ut vidimus supra, consequenter judicaverunt, hoc, non esse jus nullius momenti. Ergo, &c. Quod attinet ad primam illam phrasim. Nego etiam tale dominium fore nullius momenti. Imprimis enim potest supponi, quod ante revocationem possit disponere de re, ut voluerit, nec per hoc sit injuriaturus alium: imò nec ipsum investientem illo dominio. Negoque tale dominium esse nullius momenti: quia dominium quod hic & nunc, idem potest præstare ac dominium irrevocabile, non est nullius momenti, hoc autem est tale. Rursus, adhuc hoc dominium longè distinguitur à potestate, quam dat superior aliquis subdito ad aliquid disponendum, & alteri dandum: nam non dat superior facultatem Religioso disponendi, ut id faciat proprio nomine, à nulloque etiam ante revocationem, dependenti: cum tamen habens dominium etiam revocabile, ante revocationem, proprio nomine, & protunc non dependenti, id faciat: quæ longè diversæ sunt moralitates.

Sed sit bene dominium revocabile, esse dominium nullius momenti, adhuc intentum arguentis non convincit. Imprimis: quia stando in allatis, dici potest dominium revocabile, etiam per potestatem ordinariam, esse nullius momenti, secus si sit revocabile non nisi per potestatem absolutam. Deinde, quia concessio etiam, quod illud dominium sit nullius momenti, quæri adhuc potest: An possit Deus ita se obligare, sicut se obligat usu fructuario donans, spoliareque se usu fructus? Ex quo etiam addito, colligitur immerito assumi, quod revocabilis potestas in Regnum Hispaniæ, minus sit æstimanda præ dominio trium grossorum; cum etiam arendæ ut vocant apud nos grandes, plus æstimentur, quam dominium unius solidi. Denique eidem Difficultati hac via occurri potest, procedendo

in Negationibus propositionum, quæ ad ultimum non demonstrantur; cum tamen in præsentiquæratetur demonstratio. Imprimis concedo posse Deum singulis momentis per potestatem absolutam revocare illud dominium. Negando autem hoc dominium esse nullius momenti. Negando item quod dominium in rem, quam possit aliquis auferre pro libitu suo, sit nullius momenti, semper enim talis recipiens, dicit se bono, spoliare alterum. Negoque, retento dominio hereditatis, & dato dominio emptionis, nihil tunc dandum, sed illo dato, malè supponitur, quod non possit donatarius quidquam facere independentem ab herede: verè enim poterit, licet sit in potestate ejus revocare, sed ante revocationem, independentem ab illo agere poterit, eritque distinctio inter talem donatarium, & inter alium, qui non est donatarius: quia utendo illa, ut non donatarius, facit injuriam heredi; eo quod non supponatur heres cessisse illi jure aliquo, in suo genere, pleno: non facit autem donatarius injuriam, nec indiget novæ facultatis exhibitione, consequenter Negatur tale dominium in Hispaniæ Regnum, non esse rationabilius eligendum, præ dominio absoluto trium grossorum. Et licet verum sit quod titulus aliquis habendus sit in tres grossos, nempe irrevocabilis domini à quoquam, qui titulus non habebitur in illud Regnum Hispaniarum, aliunde tamen hoc suppletur, & sicut melius est habere hereditatem quàm homagium, nihilominus homagium in Regnum, melius est, quàm hereditas unius solidi, eo quod carentia præstantioris tituli, abundè aliunde suppleatur, ita & in presenti:

PROBATUR 3. Idem. Ex opposita doctrina sequitur, posse dici famulum & servum creaturæ, Deum. Nam si quis, aliqui ex se liber & non obligatus, cedat juri suo in suas actiones alteri, obligetque se illi ad exhibendas ejusmodi actiones, jam eo ipso tenetur ex justitia talia opera impendere, efficiturque famulus. Ergo, & Deus si cederet juri suo, & libertati ad aliquas actiones exhibendas creaturæ, efficeretur famulus creaturæ.

RESPONDERI potest. Imprimis, querendo, cur, si Dominus famulo, vel servo obliget actionem dandi victum, vestitum, pecuniam &c. non efficiatur illius famulus, etiam si adhuc peccaturus sit contra justitiam talia negando? cur ergo Deus non etiam idem præstare poterit, quin evadat famulus creaturæ? & si in hoc Dominus exercet dominium suum, cur non & Deus? Quod si dicas pares esse in hoc famulum & Dominum: quia tam famulus potest obligare actionem solvendi pecuniam Domino, quàm Dominus famulo, pares sunt in hoc: quia supposita obligatione, & Dominus famulum, & famulus Dominum injuriare potest. Sed in hoc sunt dispares: quia Dominus semper hoc facit

cum

cum moralitate præcellentiæ, non autem famulus, ita & in præfenti, idem erit verum. Rursus, licet Deus ad actiones creaturarum non possit concurrere tanquam famulus & servus, nihilominus illi, tanquam causam primam non de- decet, etiam ad vilissimas operationes creatu- rarum concurrere, cur ergo obligata sua pote- state ordinaria, dicendus erit tanquam famulus concurrere? & cur obligata illa potestate, ra- tione absolutæ potestatis, non erit dicendus ha- bere adhuc prioritatem in agendo? Aliter ei- dem difficultati respondet cit. Ripal. n. 72. Ad servitutem requiri, ut ita sit persona juris alieni, ut nullatenus sit sui, nullaque potestate valeat, circa injuriam alterius, suas operationes negare, & Deo autem retinente semper potestatem ab- solutam, id dici non potest.

Punctum Difficultatis 2.

Formantur Rationes pro Conclusionē.

PROBATUR I. Si posset Deus ex iustitia ob- ligari creaturæ, id ideo esset: quia posset obligare potestatem suam & dominium, quod habet in aliquam rem: nam etiam in creatis ha- bet obligari ex iustitia; nec alio sensu, hæc qua- litas, in præfenti instituitur. Sed illam potesta- tem & dominium non potest Deus obligare; quia vel obligaret suam potestatem absolutam, vel ordinariam. Non primam, quia obligatio illa auferret Deo potestatem disponendi prout voverit: in hoc enim stat illa obligatio. Sed & Deo non potest auferri potestas disponendi prout voverit: quia illa potestas est annexa Deitati, ita ut illius ablatio, auferret Deitatem; & sicut non potest auferri à Deo omnipotentia, immensitas, sapientia; ita nec illa potestas: tunc enim non nisi id quæ salva Deitate, Deus ex sup- positione aliquid facere non potest, quando il- lud non posse facere, est bonum appetibile na- turæ intellectuæ, nec contrariatur perfectioni simpliciter simplici, qualis perfectio, est domi- nium. Non etiam potest dici secundum: quia si posset Deus obligare potestatem suam ordi- nariam, retenta absoluta, vel obligaret illam se- cundum id, quod dicit in recto, vel secundum id, quod dicit in obliquo: neutrum dici potest. Non Primum; quia potestas ordinaria in recto, idem dicit, quod & potestas absoluta, nempe Deitatem. Ergo si potestatem absolutam ob- ligare non potest, nec poterit ordinariam, se- cundum id quod dicit in recto acceptam. Nec etiam potest obligari potestas secundum id, quod dicit in obliquo: Quod probatur. Hoc quod in obliquo importatur tam à potestate ab- soluta, quam ordinaria, est aliquid esse crea- tum. Ergo si obligari potest potestas ordina- ria secundum id, quod dicit in obliquo, pote- rit obligari & potestas absoluta. Quod ipsum

probatur: quia totam mutationem, defectumque domini, relicere tunc possemus in defectum a- licujus in obliquo importati; diceremusque ca- rere tunc Deum potestate absoluta, non secun- dum id quod dicit intrinsecè in recto, & pro sub- jecto, sed secundum id, quod dicit in obliquo pro extrinseco &c. Sicut etiam careret tunc po- testate ordinaria secundum id, quod hæc pote- stas dicit in obliquo, non secundum id, quod di- cit in recto; & tamen probatum est, non posse obligari potestatem illam absolutam.

RESPONDEBIS I. Hoc obesse, quia obliga- tione illa, etiam obliqui, posita, sequeretur jam Deum non esse formaliter Dominum absolu- tum: quod tamen est de ratione Deitatis.

CONTRA est. Absurdum est Deum non ef- se formaliter Dominum absolutum, cum sola retentione domini absoluti, secundum id quod dicit intrinsecè & in recto. Ergo, etiam absur- dum est, non esse Deum formaliter Dominum per potestatem ordinariam: quamvis retentu- rus sit tunc dominium potestatis ordinariæ, se- cundum id quod dicit potestas ordinaria in re- cto, quod argumentum infra urgebitur, robo- rabiturque ex solutione argumentorum in op- positum.

RESPONDEBIS 2. Quamvis eadem sit en- titas creaturæ, tam respectu potestatis ordina- riæ, quam respectu potestatis absolutæ; nihilo- minus potest esse inobligabilis respectu poten- tiæ absolutæ, obligabilis respectu potestatis or- dinariæ: sicut eadem est entitas albi respectu a- lius albi, ac respectu nigri: & tamen respectu al- bi habet rationem similis, non habet autem re- spectu nigri.

CONTRA est. Quia non ex eo præcisè, quod sit eadem entitas, urgetur obligabilitas, sed quia insuper posset salvari, quomodo tunc maneat dominium illud immutatum, quoad sua intrin- seca; & tamen ex altera parte non est major ra- tio unius obligationis quam aliūs; est autem ma- jor ratio, cur albedo sit similis albo non nigro, id- que petita ex definitione ipsius similis vulgata ab Arist. *similia sunt, quorum qualitas eadem.*

RESPONDEBIS 3. Ideo non esse obligabilem potestatem absolutam: quia hoc ipso desineret Deus esse Deus. Jam autem si obliget potesta- tem suam moralem ordinariam, Deus, non desi- net esse Deus.

CONTRA. Ex dictis, non desineret Deus esse Deus obligata potestate ordinaria, ratione connotati. Ergo, idem dicendum, si obliga- ret, seu quod idem est, si se spoliaret potestate sua absoluta. Rursus, & non desineret esse Deus obligata hac potestate, ut tu dicis, & desi- neret: quia desineret esse Deus, si ceteret po- testate absoluta; cum tamen potestas absoluta & ordinaria sint idem; ad eum modum, quo- quamvis differant animal & rationale in homi- ne, ratione diversorum connotatorum: nihilo- minus si desineret esse animal, desineret esse ra- tionale.